

05

A

393



L

F

DI

D

S.S.

C

D

N



DISSENSUS
LUTHERANORUM
ET PONTIFICIORUM,
CIRCA NONNULLA
FIDEI CHRISTIANÆ CAPITA,

QUEM
DISSERTATIONE THEOLOGICA,
FAVENTE SUPREMI NUMINIS GRATIA,

In
CELEBERRIMA LEUCOREA,
PRÆSIDE,

VIRO,
SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO
ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANNES *Deutschmann*
S.S. TH. D. EJUSDEMQUE IBIDEM P.P. LONGE
CELEBERRIMO, ALUMN. ELECT. EPHORO
GRAVISSIMO, NEC NON VENERANDI ORDINIS
THEOL. p. t.

DECANO SPECTABILI

DN. PATRONO AC PRÆCEPTORE PROMOTOREQUE SUO MAXIMO:
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBIICIT
AUTOR ET RESPONDENS

ADD. NOVEMBR. MDCC LXXIX.

NICOLAUS GÄMBARZOVSKI

Cracoviâ Polon. S. Th. Stud. Seren. Elect. Saxon. Alumn.

Wittenb. Typis JOH. BORCKARDI, Acad. Typ. Excud. SIMON LIEBERHIRT.



PROOEMIUM.



Uintus jam agitur Annus, ex quo cimmeriis Anti-Christi subtractus tenebris, in silentio, ac simplicitate me continui, amans potius Deum & conscientiam, Testes, quam in aliquo mustaceo chartarum, laureolam aliquam quærere. Neque enim mihi unquam propositum fuit exteriora iudicia hominum morari, aut laudes eorum venari, potior semper solius Jesu Christi ratio erat, cujus unicam scientiam, præter cæteras maximi semper aestimabam, mecum sapius vulgare illud recogitans.

Si Christum discis, satis est, si cætera nescis:

Si Christum nescis, nihil est, si cætera discis.

Attamen, ut erga ejus sanctissimam Verbi scripti Veritaté, candoré animi mei contestarer, eò quod mihi parvulo ea, quæ Cælestis Pater sapientibus hujus mundi abscondit, tandem Annis maturioribus revelare dignatus sit, dum me scilicet Thessini, in superiori Silesia, Ordinarii Prædicatoris munus subeuntem, certisq; diebus dominicis, pro ingenii facultate, ac cæcâ obedientiâ, contra Veram doctrinam, blasphemantem, crebrâ, attramen occultâ, librorum Evangelicorum lectione, ad Lucem veritatis Evangelicæ perduxit, jussitque è Babylone extrahere pedem. Ne verò commodiori destituerer egressu, modum subministravit convenientem. Nimirum visitandi Germaniam, superiores, Deo sic ordinante, copiam faciebant: Quem autem Coloniam Agrippinam abire cupiebant, illum Deus orthodoxorum quorundam instructum literis commendatitiis, in terras Saxonicas, sedem purioris doctrinæ facundissimam, deduxit. Ut ergo non tantum debitas Deo ac Christo meo pro hoc insigni, ut & aliis maximis beneficiis, debitas persolverem grates: Sed etiam quos aliquando habui Fratres, sub Papalibus tenebris detentos, hodiè verò in me & veritatem Cælestem, hostilem animum, conatu quo intensiori, eò debiliori, gerentes, in rectam, sanamque, meo exemplo, reducerem viam, ut mecum etiam discant voluntatem Patris Cælestis, in agnitione Jesu Christi, sitam, utque in ipso & propter ipsius meritum sufficientissimum, ipsi grati acceptiq; , in hoc & futuro seculo, sint; ac tandem ob vanam mundanamq; gloriam, & turpe lucrum, Veritatem Cælestem contempnere, vel agnitam calumniari, & tantum non pedibus conculcare de-

discant, quod animitus precor: Præsentem disputationem ingenuo quidem, sinceroque animo, at vili admodum, tenuique stylo, quod ingenii imbecillitatem facile deprehendam, conscribere cœpi. Deus, qui à teneris mihi prospexit elementissime, & mihi nunc adesse gratiâ ac favore suo non dedignetur, sic scopum propositum feliciter confido me assecuturum.

THE S I S I.

De Principio cognoscendi, Scriptura Sacra.

Lutherani cum scriptura docent, solum verbum Dei scriptum esse principium credendorum. Prob. I. Quia ut DEUS est principium & Finis omnium rerum, sic & ejus verbum est principium credendorum, cum non nisi per verbum suum, Fidem DEUS in nobis accendat, diserte concludente ita Apostolo, Rom. X. 17. *Fides ex auditu: auditus autem per verbum DEI est.* II. Quia per Verbum DEI omne DEI consilium de salute hominum est revelatum. Act. XX. 27. Cui revelationi factæ scilicet per Apostolos & Prophetas, sicuti hodie in Canone scripturæ habetur, credere jubemur, super miraculosam etiam revelationem sanctorum mortuorum, Luc. XVI. 32. III. Quia in verbo DEI omnia creditu & observatu necessaria sufficienter & perspicue proposita sunt. Deut. IV. 2. XII. 32. 2. Tim. III. 16. Unde consequitur, nullum dogma creditu necessarium esse, nisi sit in scripturari s. propositum, sicque verbum DEI scriptum esse adæquatum principium credendorum. IV. Quia verbo DEI nihil addi vel demi debet Deut. IV. 1. Proverb. XXX. 6, Eccl. XII. 11. Gal. I. 8. 1. Cor. IV. 7. Jam autem Traditiones Verbo DEI aliquid addunt. Ergo rejicienda sunt ac repudianda.

ANTITHESIS.

Pontificii docent non solum Verbum DEI esse principium, in Conc. Trid. Sess. IV. Verum etiam Traditiones ipsas, tum ad Fidem, tum ad bonos mores esse necessarias statuunt. Bellar. Lib. 4. de Verbo Dei C. 3. Nos inquit asserimus præter Verbum Dei non scriptum, requiri etiam Verbum Dei scriptum i. e. divinas & Apostolicas Traditiones. Ut taceam calumnias, quibus onerant Verbum Dei. Legatur Costerus in Enchir. p. 44. Job. Haigus Jesuita Scotus p. 114. & 119. Adde Marcum Stampal. dicentem: Stante scripturâ nulla erit pax, nulla veritas, ex hac enim principio tot hæreses nascuntur. Et passim constat

constat ex scriptis Pontificiorum, quo loco eis scriptura S. absq; Ecclesia Interpretatione & Traditionibus habeatur. Verum hanc impiam Pontif. doctrinam repudiamus.

PRIMO Quia Traditiones ipsorum, ut sunt de *Jejunio, Vita Monastica, Votis &c.* perfectioni scripturae adversantur. Nam si *scriptura S. perfecta est, continens omnia ad Fidem & mores necessaria.* Psal. XIX. 8. Coloss. I. 28. 2. Tim. III. 15. quorsum quaeso opus fuerit talium *traditionum* supplemento?

SECUNDO Quia expressa Christi & Apostolorum prohibitioni repugnat. Matth. V. 21. 31. quibus omnibus corruptelis Mosaicae Legis, quas nomine *antiquarum traditionum Pharisei* venditabant, Christus opponit expressa Legis Verba, ac proinde à *traditionibus ad scripturam* nos revocat cap. XV. 6. taxat Phariseos, qui per traditiones suas irritum fecerunt mandatum Dei, quare opponit illis Oraculum Prophetarum Esai XXIX. 13. *Frustra me colunt mandatis hominum.* Conf. L. L. Comm. B. Gerhar. de scrip. s. p. 157. & Mat. eol. Papi. Doct. Calovii p. 1.

TERTIO Ipsi Veteres Doctores in Ecclesia nos *ad solam scripturam* remittunt. Cyprian. 2. Lib. Epist. 3. *si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos fecerit, aut faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes Christus prior fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Hieron. in Psal. LXXXVI. *Quamvis sanctus sit aliquis post Apostolos, quamvis disertus sit, non tamen habet auctoritatem.* Athanas in Epist. de synodo Arem. *Frustra circumcursantes pretererunt, se ob Fidem Synodos postulare, cum sit divina scriptura omnibus potentior.* Legatur August. Epist. 29. ad Hiero. item Lib. 3. cap. 14. cont. Maxim: *Accedit propria oris confessio, quae mille testes exsuperat, Episcoporum Concilii Bononiensis, quae fatentur ad Pontificem Romanum scribentes: quod non possint de traditionibus id, quod tenent & docent probare, sed tantum se habere conjecturas quasdam.* Hinc Corollarii loco hic Conclusionem annectere liceat, *Traditiones Papisticae neq; ex scriptura neq; ex ratione desumptis sufficientibus consequentiis, probari possunt.* Prius patet inde: *Quia usu venit Pontificiis ad confirmationem Traditionum quaerere: Unde scis, Verbum Dei, esse Verbum Dei? Unde Evang. Matthaei; esse Evangelium Matthaei? unde Trinitatem? Quae quidem quaestiones omnes prono calle ad Atheismum ducunt: Et arguere licet: si auctoritas scripturae ex Traditione probanda est, sequitur*

Traditionem ex scriptura probari non posse. Prius est ex hypothesi. Ergo. Posterius partim inane est, & Socinianum sapit, Articulum Fidei ex ratione probare velle, partim omnia illa, quæ hæcenus magno quidem numero; sed nullo pendere, pro stabiliendis Traditionibus à Romanensibus allata sunt, plus millies, uti expertus sum, ab Orthodoxis sunt profligata.

THESIS II.

De Fine Theologie Objectivo.

Lutherani cum scriptura S. docent solum unum Deum verum Religiosè colendum; & invocandum esse. Prob. I. Quia Deus non vult gloriam suam alteri dare. Esai. XLII. 8. cap. XLV. 25. II. Quia ille solus est colendus & invocandus, qui nobis confert bona, & dona, siue spiritualia, siue corporalia. Quamvis autem Pontificii plerumq; conqverantur, injuriam sibi fieri, eò quòd illi Sanctos minime invocent, ut datores & collatores bonorum, sed tantummodo, ut intercessores & impetratores; tamen (1) protestatio hæc est contraria factò, quod probatur præcipue ex Psalter: Maria, à Sixto IV. & Innocentio VIII. confirmato, & à Sorbonistis approbato. Hinc celebratum illud est de B. V. Maria, Ora Patrem, & jube Filium. (2) Quicumq; pro meritis exigunt aliquid à DEO, illi non impetrant tantum, sed imperant etiam. Atqvi Sancti, utpote quorù precibus & meritis nos niti jubemur, exigunt aliquid pro meritis. Ergo. Deniq; (3) Unus est tantum Intercessor & Mediator, Homo Christus Jesus. 1. Tim. II. 5. Licet enim concedi possit, Sanctas in Cælis, in genere, orare pro Ecclesia, in terris tamen, neq; speciales intercessionès, neq; eorum invocationem inde ullo modo largimur. (4) Quia scriptura Sac. solum DEUM adorare jubet, Deut. VI. 1. seq. Matth. IV. 10.

ANTITHESIS.

Pontificii docent, non solum invocandos esse Sanctos; sed etiam ipsorum Reliquias, Imagines, Vestimenta &c. adoranda, sicut illud bonum atq; utile esse dicit Concil. Trid. Sess. 25. Bellarm. de Adorat: Reliqui: Lib. 2. cap. 2. Staplet. in promptu Cathol. par. I. p. 292. Item Concil. Trid. de adora. Imag. Sess. 25. & Bellarm. Lib. 2. Hanc impiam in DEUM ejusq; unigenitum Filium JESUM CHRISTUM, doctrinam, repudiamus.

I. Quia

I. Quia, qui religioso cultu afficitur, eum oportet esse **OMNI-
SCIENTIUM**, non tantum ut adorantes in spiritu & veritate ab Hypocritis
discernere possit, Joh. IV. 23. Matth. VI. 16. Quod elogium scrutandi
corda & renes, soli Deo competit. 1. Reg. VIII. 39. Rom. VIII. 27. Sed
etiam ut omnes necessitates externas & internas omnium eorum, qui
ipsum invocant, certo scire queat; quod solius DEI esse, testis est David,
Psal. CXXXIX. 1. & 2. Matth. VI. 32. & Paulus Heb. IV. 13.

II. **OMNIPOTENTEM**: alias non poterit nos eripere ex omni-
bus malis. Hoc autem solius DEI est. Gen. XVII. 1. Esa. XL. 10.

III. **OMNIPRÆSENTEM**: alioquin frustranea esset invocatio.
Sed solus DEUS est ubique locorum præsens. Ergo ille solus est invo-
candus. Esa. XLIII. 2. Psal. LXIV. 1. Act. XVII. 27.

IV. Jubemur expressè solum DEUM invocare, nec nominari po-
test, vel unus inter *Sanctos* in T. V. aut novo, qui alium unquam invo-
casse legatur, quam unum illum & verum DEUM Psal. L. 15.

V. Quia, ut per *Jesus Christum*, unicum nostrum intercesso-
rem, Deum invocemus ipsiq; nostras necessitates proponamus, passim
docet scriptura. Joh. XIV. 6. & 13. Rom. VIII. 34. Joh. II. 1. Eph. III. 12.

VI. Quia, ipsi Veteres doctores id prohibent. *August. Lib. de Vera
Relig. Cap. 55. Non sit, inquit, nobis Religio cultus hominum mortuorum,
quia si pie vixerant, non sic habentur, ut tales querant, sed illum à nobis coli
volunt, quo illuminato latentur meriti sui, nos esse consortes.*

VII. Sancti non norunt in particulari statum nostrum Job. XIV.
21. Et posito, licet eundem quoque insuper scirent, ex peculiari revelatio-
ne (Fabulam enim de speculo Trinitatis, ceu ipsis Pontificiis multis no-
minibus suspectam, *Gregorii* figmentum, sciens volens transmitti;) ta-
men inde invocatio nullatenus extruenda foret, quia nullum est de eo
mandatum, sed ad solum CHRISTUM ablegamur, Joh. XIV. 13. Heb. IV.
16. Quia, ille solus & non *Sancti*, aut *Angeli*, preces nostras ad Deum de-
fert, 1. Joh. II. 2. Heb. VII. 25. IX. 24. Siquidem preces offerre est *actus sa-
cerdotalis soli Christo competens*. Quod sibi etiam dictum putent, *Hugo
Grotius, Calixtus, Dreierus, &c.* Papizantes.

VIII. Repudiamus & adorationem Reliquiarum. Quia, cultus
talis nullo nititur vel *mandato*, vel *promisso divino*. Confer. *D. Calovii
Mateob. Pap. p. 188.* imò contrariatur scriptura, que debet, corpora SS. esse
terre mandanda, non Religioso cultui asservanda Gen. III. 39. Es. XXVI. 20.

IX. Re-

IX. Repudiamus & Imaginum adorationem. Quia, cultus Imag. destituitur. 1. Institutione. 2. Promissione. 3. Commendatione. 4. Approbatione divina; imo totaliter à DEO prohibetur. Exod. XX. 23. Deut. V. 14. & 16. conf. Matæol. Pap. p. 194.

THESIS III.

De subjecto Theologia, Homine scil. lapsō.

Lutherani docent cum scriptura Sac. in *Augustana Confess.* Artic. II. p. 10. *Articul. Smalc.* par. 3. art. 1. p. 317. Quod post lapsum Adæ omnes homines secundum naturam propagati, nascantur cum peccato originali h. e. sine metu DEI, sine *Fiducia* erga Deum, & cum concupiscentia. Rom. V. 12. 14. 17. 18. 19. quodq; hic morbus seu vitium Originis vere sit peccatum, damnans & afferens nunc quoq; æternam mortem, his qui non renascuntur, ex *Aqva & Spirit. S.* Joh. III. 5. Prob. I. ex scripturæ dictis; Quæ, universaliter loquitur. *Omne figmentum cordis malum esse.* Gen. VI. 5. *nec unum dari mundum.* Job. XIV. 4. *Omnes nasci carnem de carne.* Joh. III. 6. *Omnes peccasse.* Joh. V. 14. & *natura esse Filios iræ* Eph. II. 3.

II. A *Circumcisione* & qui huic successit *Baptismo*; si enim omnes, debebant circumcidi, & hodie baptizari, sequitur, omnes peccatum habere, quia hæc sacramenta erant *media remissionis peccatorum.* Act. II. 38. Eph. V. 26.

III. A *Communi morte*, qui enim subjecti sunt morti, illi etiam obnoxii sunt peccato, Atqui omnes. Ergo. Major Vera, quia, mors est poena peccati ad Rom. VI. *vers. 23.* Minor ad Rom. V. 12. *Posterior pars* Theseos probatur 1. Quia, *concupiscentiam* illam *Paulus* expressè nominat *peccatum.* Rom. VI. 7. VII. item *Colofs.* III. 5. 2. Quia, *Concilium Trid.* expressè concedit, *Concupiscentiam ab Apostolo vocari peccatum.* Ergò dum id negant, *Spiritus S.* in os contradicunt. 3. Quicquid repugnat legi, illud est veri nominis peccatum, i. Joh. III. 4. Atqui concupiscentia, fatente Apostolo. Ergo. Confer. testimonia *Doctorum Pontific.* allegata à *Dn. D. Calovio in Matæol. Pap. p. 45.*

ANTITHESIS.

Pontificii. I. docent utpote in eundem *Labyrinthum* cum *Pelagi-* nis sese præcipitantes, non omnes naturaliter conceptos & natos cum pecc

peccato concipi & nasci, ut *B.V. Mariam, Johannem Baptistam, & alios*, quod est contra Scripturam S. ut patet ex locis jam adductis. Ac præterea ita infruniti sunt Papistæ, ut partim hîc sibi turpissimè contradicant, utpote cum statuunt, in statu integritatis, jam tunc fuisse rebellionem quandam homini concreatam, quæ caro spiritui adversa concupiscabat: quomodo ergò illud in statu corruptionis, ubi amissa Imago DEI negabunt? *partim* blasphemi sunt insimul, ut qui non erubescunt sanctissimū omnium sanctorum CHRISTUM JESUM affirmare, *in appetitu suo sensitivo fomitem habuisse peccati*, uti Durandus facit, fatente Suarez: Tom. I. Comm. in Thom. p. 3. Disp. 24. Sect. 2. Unde etiam Angelo Remenenses docent Christum egisse penitentiam jejuniis, vivendo in deserto, flagellationem spontaneam ac disciplinam suscepisse; cum tamen Christus fuerit sanctum illud Luc. I. 35. in cujus ore nunquam inventus fuit dolus, neq; unquam ullum fecit peccatum 1 Petr. II. 22. Nempe ita Papistæ omnem honorem, quem *B.V. Maria* attribuunt, sacrilego ausu Deo Patri, ejusq; Filio suffurati sunt. Omnes, ordinæ naturæ & vi benedictionis divinæ, Gen. I. 28. propagati, Originali peccato infecti sunt; sed verò Messias extraordinariè & vi promissionis natus est.

II. *Originale peccatum ita extenuant*, ut illud minus peccato minimo veniali dicant: Hinc Bellarm. expresse docet Lib. I. *Peccatum Originis minus exquisitè peccatum dici*. Sed illud partim damnatum Palagianismum ex orco reducit, partim supra in Thesi refutatum est.

III. Docent, *dari peccata naturâ suâ venialia*, quæ per se & suâ naturâ non merentur mortem, quod est contra legem Dei, & quicquid est contra legem Dei, illud etiam meretur suâ naturâ æternam damnationem. Admittit quidem etiam Ecclesia Catholica distinctionem peccati, in *veniale & mortale*. Sed *veniale* hac tantum ratione dici statuit, quod eò ipso momento, quo commissum est, veniam indivulso nexu conjunctam habeat, scil. quia subiectum est Deo reconciliatum, sicut *mortale* dicitur, quod mortem spiritualem infert, eò ipso momento, quo committitur. Sed Papistæ naturâ suâ *alia venialia, alia mortalia* statuunt.

IV. Docent, *Concupiscentiam in renatis non esse peccatum*, contra expressum Pauli assertum, ad Rom. VII. 7. qui vers. 15. expresse vocat eam *malum*, Item vers. 18. *Vocat eam peccatū*. Et licet DEUS eam renatis non imputet pro peccato, ea propter tamen non desinit esse peccatum, quia aliud est non æstimare concupiscentiam pro peccato, & aliud non imputare

tare concupiscentiam pro peccato. *Æstimatio* enim peccati fuit cum
 abstractione à subjecto, *imputatio* autem cum applicatione ad subjectum
 ut loquitur subtilissimus *Hilsemann. in Manua. A. C. contra Hagerum.*
 Hanc nostram sententiam approbat *Antiquitas. Cyprian. apud Agust.*
Lib. 2. contra Julia-Pelag. Ne quisquam, inquit, sibi de puro & immacu-
lato pectore blandiatur, & quia nemo esse sine peccato potest, quisquis se in-
culpatum esse dixerit, aut superbus, aut stultus est. Quod autem B. V.
Maria & alii Sancti nascantur in Originali peccato. Thomas de Aquino
Ord. Prædica. 2. de pecca. Orig. Art. 6. approbat. Erroneum est (inquit)
quod aliqui seminaliter ab Adam deriventur absq; Originali peccato, sic
enim aliqui homines essent, qui non indigerent redemptione facta per
Christum. Confer. Mataol. Pap. p. 47. Augusti. I. de perfectione justitiæ
circa finem Lib. 2. de gratia Christi, & peccato Originali idem sentit. Ad-
hæc quod alibi Seneca, nempe Epist. 102. de falsis ait, nunquam falsis con-
stantia est: variantur & disident: illud hic annotare libet, si quidem vul-
go constat, Canonicos Lugdunenses primum An. 1136. immunitatem Mariæ
à peccato Originali commentos fuisse: post inde multa disidia, inter
Franciscanos, & mei quondam Ordinis Dominicanos & Jesuitas exorta,
quæ Paul. V. & Gregor. XV. suspendit, usq; dum Alexander VII. Rhada-
nantheam sententiam non tam pridem pronunciaret. Confer. Mataol.
Pap. p. 46. & Exeg. Aug. Conf. Art. 2. de peccato Orig. Nempe quod ex
Seneca diximus: Nunquam falsis constantia est, variantur & disident.

THESIS IV.

De Libero Arbitrio.

Quoad Vires hominis in corrupto statu considerati, docent Lu-
 thero Catholici cum Scriptura S. eas, quoad objecta spiritualia,
 planè amissas esse, nec ex natura posse hominem, vel intelligere,
 vel velle aliquid boni spiritualis *Aug. Confess. Art. XIII. ubi no-*
 tandum illud imprimis, quod licet *Andr. Fabrit. Cochleus Hoffmeisterus*
 ac alii Papistæ, Articulum hunc, A. C. iniquè exagitaverint, tamen Im-
 perator *Carol. V. ac status Papistici*, in illa, quam vocant *Confessionis,*
Confutatione, ex toto eundem approbarunt. *Conf. Capzov. Isagogen in*
Lib. Symb. p. 479. Misso autem hoc statuum Pontificiorum consensu,
 Thesis nostra ex scripturis.

Prob.

Prob. I. argumento, deducto ex intellectus cecitate in mysteriis
spiritualibus, quia naturalis homo non potest intelligere ea, quae sunt spiri-
tus Dei. 1. Cor. II. 15. Nec sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, tan-
quam nobis. 2. Cor. III. 5.

II. Ex Morte spirituali. Nos enim prorsus mortui spiritualiter
dicimur Eph. II. 1. Coloss. II. 3. Jam verò mortuus nullas vires habet, vel
facultates vitales, igitur neque homo in statu corrupto consideratus.

III. Ex Conversionis denegatione & soli Deo eam vindicatione:
Solutus enim dicitur, cor novum dare & lapideum auferre Ezech. XXXVI.
36. Item solus dicitur dare intelligentiam cordis, aperire oculos Deut.
XXIX. 3. videatur B. Meisn. in Anthropol. de Lib. Arb. p. 74. Adde omnia illa
scripturae loca, quae gravissimo pondere adducit Liber Concordia in h. l.
tum de mente sive intellectu, tum de corde, sive voluntate hominis non
dum renati. Confer. Hutcher. Expli. Lib. Concor. de L. A. p. 165. Mataeol.
Pap. de L. A. p. 49. D. Carpz. Isag. l. c. Chemnit. Par. 1. Loc. Theol. p. 465.
Gerh. Tom. II. LL. p. 592.

ANTITHESIS.

Pontificii praesertim Scholastici, quos inter & Pelagianos pariter
interesse fateretur, tum A. C. tum Apolog. p. 217. & 218. id quod ipsi Ponti-
ficii Doctores non dissententur, qualis Molina de Concord. Lib. Arb. cum
donis gratiae q. 14. Art. 13. Disp. 19. Memb. 1. & Vasquez. Disp. 91. in Primo
Tomo Cap. X. atque alii, qui omnes docent hominem non dum renatum
habere se activè, in actu Conversionis, simulque influere, seu concurrere
ad sui conversionem, ut patet ex Conc. Trid. Sess. 6. Can. 4. Item ex Bel-
lar. Lib. VI. de Gratia cap. 15. lib. IV. c. 15. Andr. ad. lib. IV. Orthod. Coster.
in Enchir. de Lib. Arb. p. 211. Praecipue Gabriel in 3. Sententia. Distin. 27.
Quaest. uni C. Art. 3. dub. 2. statuunt scil. Pontificii referente D. Calovio in
Mataeol. Pap. p. 49. cum primis autem Jesuita naturam inesse homini liber-
tatem, & potentiam activam, ad eligendum bonum supernaturale; sed
eam impediri, donec Dei gratia naturam adjuvet, impedimentum remo-
veat, facultatem insitam elicit. Praeterea liquet id etiam, ex ipsorum Hy-
pothesibus, dum statuunt, naturalia, post lapsum mansisse integra; sic
hoc igitur etiam Lib. Arb. necesse est mansisse integrum, id quod variis
similibus Doctores Pontificii illustrare cupiunt, utpote de homine in so-
porem prolapsio, & se curè dormiente, quod facit Costerius l. c. de potentia
viden-

videndi absente specie visibili, quod facit Bellarm. l. c, aut de homine vinculis constricto: sicut enim ille, qui vinculis est constrictus, habet quidem insitam & innatam incedendi potentiam, non tamen potest actu prodire, nisi rumpantur ab alio vincula; ita homo post lapsum non amittit quidem penitus vires circa objecta spiritualia, tamen est ligatus, quæ vires non possunt in actum deduci, nisi, à gratia divina excitentur: sed hoc falsum esse ex dictis jam constat. Præterea habemus hîc consentientem antiquitatem, atqve præsertim illum Hipponensem in Africa Episcopum B. Augustum, qui lib. I. contra Pelag. cap. 125. Non solum DEUS (inquit) posse donavit atq; adjuvat; sed etiam velle, & operari operatur in nobis, quia nec volumus aliquid boni, nec agimus. Et lib. 3. contra Pelag. Non ergo homo voluntate suâ adhuc in vitio Liberi Arbitrii claudicante, prevenit Deum, ut cognoscat, ut querat eam gratiam, tanquam pro meritis accepturus, sed præcedit misericordissimâ gratiâ suâ, Deus hominis invocantis, & non dum se querentis voluntatem Lib. Arb. ut eum se scire & querere faciat. Legatur & Liber. 3. cap. 8. & Conc. Arauscanum præclare: si quis contendit voluntatem nostram Deum expectare, ut à peccato purgemur; non verò consistetur per Spiritus S. operationem, in nobis fieri, ut purgare velimus: is resistit Spiritui S. per Salomonem dicenti: Preparatur à Domino voluntas. Tandem Bernhardum hîc quoq; adducere libet, qui de Gratia & Lib. Arb. scribens inquit, Verba sunt non mea sed Apostoli, qui omne, quod bonum esse potest, id est cogitare, & velle &, perficere pro bona voluntate, attribuit Deo, in suo Arbitrio.

THESIS V.

De Principio Salutis.

Circa principia salutis, & in specie circa Christi Personam, Luthero-Catholici, cum scriptura docent, in Christo unam esse Personam, solumq; unum Mediatorem, secundum utramque naturam, & sufficienter satisfacisse, non tantum pro culpa, sed etiam pro pœna. Aug. Conf. Art. III. de Christo Foemul. Concord. Artic. VIII. de Persona Christi Gerhard. lib. II. special. Confess. Cathol. par. 3. p. 73. & par. Et præprimis aureus tractatus de Persona Christi D. Calovii. Prob. I. Quod sit una Persona (1) ex sacra scriptura: dicitur enim unus Deus, Jesus Christus 1 Cor. VIII. (2) ex unione ærtissima, & longe ærtiori, quam quæ est inter animam & corpus, unde etiam dicitur in Christo,

Christo, tota habitare plenitudo deitatis corporaliter Coloss. II. 9. hoc est tanquam in proprio corpore, sive templo. (3) ex *Communicatione Idiomatum*, dicitur enim Dominus gloria crucifixus 1. Cor. II. 8. *Autorem vite infectus* Actor. III. 5. Huc pertinent quoque testimonia, quibus asseritur, humanae naturae attributam esse *Majestatem divinam* &c. de quibus videatur D. Calovius in *Tract. de Persona Christi*. Jam verò ubi vera talis datur proprietatum communicatio, ibi necessariò quoq; concedi debet, *unitas Persona*.

II. QVOD sit unus & solus, *Mediator secundum utramq; naturam*, probatur, ex 1. Tim. II. 5. ubi unus, uti DEUS, ita etiam *Mediator* dicitur. Licet enim Pontificii distinguant, inter *Mediatorem Primarium, sive Principalem, & secundarios*, ut Becan. opusc. de *Invocatio SS.* nihilominus tamen propriè dictos, licet *subordinatos Mediatore*s agnoscunt. Verum id est ἀντιπαρόν. Quia, primò sicut per unitatem DEI excluduntur omnes dii alieni, qui non sunt Pater, Filius & Spiritus S. ita etiam excluduntur omnes *Mediatore*s, qui non sunt CHRISTUS JESUS. Si quidem hæc immediatè sunt connexa, & unius vocis non potest esse duplex, isq; contrarius sensus.

III. Is solum est *Mediator, qui dedit semetipsum in Redemptionem pro nobis*. Major etiam in *Textu* est, hæc enim ad Officium Mediatoris pertinent, & *Mediatio* atq; *Redemptio*, re ipsa non differunt, nisi *ratione*. Confer. B. Hülseman. contra *Hagerum Jesuitam de Cultu SS.* p. 939. QVOD etiam *secundum utramq; naturam sit Mediator*, id iterum prob. ex ante allato loco, quia dicitur. *Homo Jesus Christus, Christus autem est Persona composita ex divina & Humana natura constans*, igitur etiam secundum utramque naturam *Mediator* erit. Quod denique sufficientissimè satisfecerit, pro peccato tum *Originali*, tum *Actualibus omnibus*, ut & pro *culpa* non minus, quam pro *pœna*. Prob. ex luculentis testimoniis, ut Joh. I. 9. *Agnus Dei dicitur tollere peccata mundi, & unà oblatione consummasse in sempiternū eos, qui sanctificantur*. Heb. X. 14. Et cum *Christus sit infinita Persona*, igitur etiam infiniti pretii & valoris satisfactionem ejus fuisse necessarium est. Confer. prolixè de hac re differentem D. Gerh. loco citato.

ANTI

ANTITHESIS.

Videri uerò poterat, hîc fieri Pontificiis injuriam, utpote qui unitatem *Personæ Christi*, ut & *Communicationem Idiomatum* hæctenus statuere se profiteantur; at uerò placet hîc adducere tantummodo iudicium *B. D. Hutteri*, quod in *Explicatione plana & perspicua Libri Concordiæ Art. VIII. de Persona Christi sub finem p. 1014.* addidit: *Classem errantium alteram, inquit ille, (scil. de Persona Christi) sibi vendicant Sacramentarii, Philippista ac Esavita, qui licet alias instar vulpium Samsonicarum capitibus in diversa ferantur, caudis tamen suis colligati, dum aduersus orthodoxiam hujus articuli, jam pridem conspirarunt & tum vanis erroribus eam conspurcare, tum exquisitis Sarcasmis, & conviciis proscendere hæctenus non dubitarunt.*

Negant siquidem ideo Pontificii, **PRIMO**, Unitatem Personæ, quia negant unionem arctissimam duarum naturarum, per nudam gestationem & sustentationem eam explicantes, & assumptam humanam naturam, non aliter se habere respectu divinæ, quam vestem indutam respectu corporis dicunt. Videatur *Bellar. lib. 3. de Christo cap. 8. 17. Gregorius de Valentia in disp. contra fundam. Ubiquitatis p. 53.* Nam qui negat unionem in **CHRISTO**, negat quoq; unum **CHRISTUM**, quia unio deducitur ab uno: videatur *Dion. Pettav. Dogm. Theolog. Tom. 4. lib. 3. Incarn. cap. 1. p. 206.* Neque nuda gestatio & sustentatio humanæ naturæ potest constituere unum Personale. Ratio est, quia hæc sustentatio omnib; creaturis est communis. *Actor. xvii. 18. Heb. i. 3.* Et sic vi hujus unionis non tantum **CHRISTO**, sed & omnibus creaturis Personalis unio conveniret. Deinde, quia illa sustentatio potius ad consequens, quam ad formale unionis refertur. Patet quoque, negare unitatem in **CHRISTO** Pontificios, ex eò, quia negant communicationem, quæ est necessarium consequens unionis arctissimæ. Si autem negatur consequens, negatur quoq; & antecedens. Et clarè testatur *Bellar. lib. III. de Christo cap. 3. errorem esse ferè omnium Lutheranorum, quod statuunt, unionem Hypostaticam consistere, (quanquam hoc falsè, namq; unionis Personalis effectus & consequens, non constituens, est. Idiomatum communicatio) in communicatione attributorum ipsi carni & humanitati, ubi præcipue exagitat, Omnipresenciam Carnis Christi. cap. VIII. similitudines mysterii quas Orthodoxi de ferro candente, item unionis corporis & animæ dant:*

cum

cum tamen similitudinibus illis usi sint *Sancti Patres*, fatente eodem ibidem, nam similitudinem ferri candentis adhibuit *Orig.* lib. 2. cap. 2. *ἡ εἰς πρῶτον*: *Basilius* verò illud accuratius paulo explicavit in *Homil. de Nativ. Christi Damasc.* lib. 3. cap. II. similitudinem ab unione animæ & corporis desumpsit. *Justin.* in *expositione Fidei.* *Arhanasius* in *symbolo.* *August.* in *Epist. synodica*, & *Patres* plerique alii. *Cyrillus* etiam carbonis igniti imagine utitur lib. *de Incarnat. unig.* cap. 8. igniti gladii. *Damasc.* de *Orthodoxa Fide* lib. 3. cap. 15. item cap. 5. cum *Bernhardo* sermon. 3. in *Vigil. Nativit. Christi* petunt similitudinem à *Mysterio Trinitatis*, *Arhanas.* etiam de *Trinit.* cap. 4. affert simile *cauterii igniti*. Isti omnes *Patres*, cur enim plures cumulemus? quorum tamen autoritas apud *Bellarmino*, sancta esse debuit; censoriè ab eodem rejecti, adeo insuper habentur ut *Thome* ac *Bonaventura* dicam scripserit.

SECUNDO, Negant quoque esse *Mediatorem Christum*, siquidem communis est sententia *Papistarum*, *Sanctos* etiam esse proprie dictos *Mediatores*, neque enim unquam adduci eò possunt, ut *Sanctos* impropriè dici statuant *Mediatores*: Constat id ex publicis ipsorum precibus, in quibus appellantur *Sancti Mediatores*, & *Sancta Mediatorices*, ut e.g. in *oratione de quinque doloribus Mariae*, quam *S. Anselmus* composuisse dicitur, juxta quinque literas vocis *Mariae*, *Mediatrix*, *Auxiliatrix*, *Reparatrix*, *Illuminatrix*, *Advocatrix*, in ea *Maria* salutatur. Videatur *Hülseman.* contra *Hagerum* p. 956. Clarum est etiam ex scriptis à *R.P.* approbatis, qualia sunt *Ludovici Granatensis*, cujus scripta, *Romani Pontificis Syngrapha*, commendata sunt, qui *Disp.* 16. ita ait, *sicut Deus Pater omnia bona per Filium hominibus, ita Filius per Matrem pleraque concedit, hinc sicut ille Mediator apud Patrem, ita Mater apud Filium pro omnibus Mediatrix est.* In *Mariæli Argentina* per *Martinum Simmiune* edito in fol. lib. I. cap. 5. fol. 13. legitur. *Quid est ergò, quod Dominus dicit, Esa. 63. Torcular calcavi solus & de gentibus non fuit Vir mecum: Verum esse Domine, quod non fuit Vir tecum, sed mulier tecum est, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.* Sed hæc omnia luce meridianâ sint clariora, cum id tot *Rosaria*, *Scapularia*, *Cingula*, *Breviaria*, ac præprimis *Psalterium Marianum* per *Bonaventuram* conscriptum, testentur. Negant etiam *Pontificii* *CHRISTUM* esse *Mediatorem* secundum *utramque naturam*, uti videre est ex *Bellarmino*. lib. V. de *Christo Mediatore* cap. III. *Alius* inquit ille error prioris contrarius est eor

sum, qui contendunt Christum exercere officium Mediatoris, secundum
Utramq; naturam. Item lib. 3. de Christo cap. I Principium quo illa opera
à Mediatore fiebant fuit natura humana, non divina. Quam ibidem dicit
esse sententiam Communem Catholicorum, in quam rem citat Magistrum
sententiarum, Bonavent. & Thomam. Confer. Forer. in Manual. Lut. b. p.
2. cap. 2. p. 193. At verò contrarium in thesi est demonstratum, confer.
1. Joh. II. 12. secundum quam naturam CHRISTUS pro nobis satisfecit,
secundū illam est noster Mediator. Atqui secundū utramq; ; divinam equi-
dem tanquam principium Originale & formale, humanam verò tanquam
principium Organicum virtute divina agens. Ergo. Quid, quod ipse Spi-
ritus S. non solum tropicè & effectivè Gal. IV. 6. verum etiam propriè,
juxta nonnullos orthodoxos Rom. VIII. 26. pro nobis intercedit, quam-
vis inde Mediator dicendus non sit. Cadunt ergo omnes illæ strophæ,
quas Bellarm. l. c. adtulit. Adde testimonia Orthodoxæ Antiquitatis,
puta, August. Homil. de Oribus. Non est Mediator homo extra divinita-
tem, nam divina humanitas, & humana divinitas mediatrix est. Am-
bros. in cap. 2. prioris ad Timo. Quia unus est Pater & Filius, non Persona,
sed indifferenti naturâ, ut arbiter esset Dei & hominum, Filius Dei
assumpta carne homo natus est, ut Mediator Dei & hominum, homo esset
Christus Jesus, id est Mediator nō sine divinitate, quia in Deo homo erat, &
Deus in homine, ut ex UTROQUE esset Mediator & utrumq; reconcilia-
ret. Adde: si secundum solam humanam naturam Christus Mediator esset,
tum frustranea Filii Dei fuit incarnatio. Sola H. N. erit justitia nostra,
quicquid etiam contra dicat. Jerem. xxiii. 6. Fides etiam nostra in so-
lam H. N. erit desigenda. Quis verò non exhorescat, vel ingemiscat, ista
legens vel audiens? TANDEM negant quoq; Pontificii CHRISTUM
pro omnibus pœnis peccatorum iisq; tam æternis, quam temporalibus
satisfecisse: quanquam enim Bellarm. in lib. de Judicio super. F. C. mend.
28. non erubescat mentiri Augustanam Confessionem hic mentiam esse,
dum Artic. III. dicit CHRISTUM, Non tantum pro culpa Originis, sed
etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis hostiam fuisse, quasi hic
falsò Pontificios redarguere voluisset, ut quos secus docere in Art. de
Missâ p. 22. & in Apol. p. 265. quoque majores nostri monuerunt. Verum
pudet certè hodiernos Papistas hujus dogmatis, quod tamen eorum esse
ex Thoma, Bonaventura, Ambrosio Catharino, jam olim ostenderunt Bal-
duin. contra Pazman. lib. 4. cap. 3. Gerbard. LL. Theol. Tom. III. in Loco
de

de Pontific: Et quamvis Gerbard. in Appendice concedat, Papistas non asserere, pro solo P. O. Christum satisfacisse; tamen quia statuunt, pro solo Originali Peccato sufficienter Christum satisfacisse, quod de peccato Actuali negant, siquidem ad id expiandum necessarium sit, Missa sacrificium & opera hominum, universaliter extensivam quantitatem meriti ac satisfactionis Christi negant, sicq; infinitatem meriti Christi blasphemè inficiantur, ut modò Missam suam, Purgatorium, & similia possint salvare.

THESIS VI.

Luthero-Catholici docent, cum scriptura sac. 1. *Gratia Dei.* 2. *Merito Christi.* 3. *Fide Apprehendente,* coram Dei judicio, hominem peccatorem, justificari, hoc est, justum pronuciari, ac à peccatis absolvi. *Formul. Concord. p. 687. August. Conf. Art. IV.* Hinc triplicem esse causam Justificationis nostræ. 1. *Principalem.* 2. *Meritoriam.* 3. *Instrumentalem,* sive mediam, adferunt. Probatur id ab Apostolo mirà brevitate, in loco Clasico ad *Rom. III.* quando enim vers: 24. dicitur: *justificati gratis, per Gratiā ipsius scil. Dei,* insinuatur *causa Efficiens Principalis,* quæ est Deus, ejusq; *Gratia,* quæ ille nos diligit, non verò nos ipsum, uti somniant Pontificii. *Causa Efficiens impulsiva interna,* denotatur voce *gratis,* quæ cum *efficiente Principali* coineidit, siquidem *gratia Dei,* & *Deus* realiter sunt idem. Confer. *Gerbar: de Justific: §. 18. Gratia* autem h. l. intelligitur, quatenus, pro *miserericordia, dilectione & favore Dei* gratuito, sumitur, quo credentem in Christum complectitur, uti hoc synonyma ejus testantur. Namque appellatur. *Miserericordia Eph. IV. 9. Philanthropia Tit. III. 4. dilectio Johan. III. 16. Caritas Johan. IV. 9.* quæ omnia justitiam, non infusam, & dona gratiæ ac effecta, sed potius favorem Dei gratuitum, & misericordiam significant. Patet etiam hoc ex particula *Gratis,* cum enim justificatio & renovatio, hoc est, remissio peccatorum, & novi motus spirituales, in justificatis sint conjunctissima, ideo, ne confundantur invicem, & ne quis putet propter illos bonos novos motus, homines justificari, additur adverbium *gratis,* ut eò clarius asseratur, nos sine ullo merito proprio, coram Deo, justificari. Siquidem *Deus nihil invenit in nobis, unde salvet, multum autem invenit, unde damnet, & tamen ex misericordia propter Christum nos recipit.* Si-

ent *Augustin. sermon. 15. Tom. 10. p. 330. de Verbis Apostoli* scribit. **GRA-**
TIA deniq; ab Apostolo in hoc Articulo, operibus & meritis opponitur,
ad *Rom. XI, 6.* dum inquit, *si ex gratia, non ex operibus.* Plura videantur, apud
B. Gerhar. l. c. Confer. Dn. D. Calov. Mat. eol Pap. de Justif: VII. ubi ratione
ultimâ adducit, *Theologus summus, suffragia adversariorum, Scoti puta,*
Durandi, Occami, Dominici à Soto, Bielii, Piggii, Cornelii à Lapide (quem
lapideum Scitè vocat, in *Bibl. Illustr. Tom. 1. in Caput VIII. Cantic.* lauda-
tus Calovius) Adde *Doct. Lutherum in scripto ad Philippum, referente*
Cbytreo, in Hystoria A. Conf. p. 410. B. Chemnit. in Exam. Conc. Trident.
& L. L. Theolog. §. 11. Hunnius in loco de Justification. Hutterum in A. C.
in F. C. & in L. L. B. Gerhar. L. II. Spec. Confes. Cathol. §. III. Ar. 22. p.
485. Ubi propriam oris confessionem Papistarum quoq; adducit. Atq;
hæc hæctenus de *Causa Efficiente.* **SEQVITUR MERITORIA,** quam
Apostolus innuit, quando dicit, *per Redemptionem, quæ est in Christo Je-*
su, hoc est, quatenus ratione suæ obedientiæ & satisfactionis considera-
tur. Neq; verò *Gratia & Meritum Christi,* in actu justificationis debent
opponi: quia *justificatio gratuita* dicitur, *non respectu Christi,* cui ma-
gni utiq; constitit nostra salus, *sed respectu nostri,* quibus ex nullo merito
prævio contigit remissio peccatorum. *Ita verò causa meritoria Christus*
ejusq; satisfactio est, ut omnia excludantur extra Christum, sicut enim per
Unius delictum in omnes homines condemnatio: ita per unius justitiam in
omnes justificatio transit, Rom. V. 18. Nec est in ullo salus, neq; datum est
aliud nomen, in quo oporteat nos salvos fieri Acto. IV. Ipse solus torcular
calcavit Isf. LXIII. 3. Videatur Hülsemann p. 146. Meisn. decad. III. An-
throp. disp. 25. & 26. Menzer. in Exeg. p. 198. Hutter. in Explic. lib. Concord.
Art. III. de Justif: p. 330. Ita quoq; *Christus est causa Meritoria,* ut ad
eam nulla prorsus nostra virtus & operatio sive congrui, sive condigni, ac-
cedere debeat: quod dicta nunc citata scripturæ evincunt, atq; unicum
tantum adhuc addatur. *Rom. III. Vers. 11.* ubi vita æterna dicitur, *bonum*
in Christo Jesu. Quæ locum ita explicat *August. lib. de Gratia & L. A. ad*
Valentin. Cap. IX. inquit: Vita æterna donum appellatur, quia non
operibus, quæ Deus in nobis per gratiam operatur, redditur: sed quia
gratis omnino confertur. Unde etiam ille *Johannes Archiepiscopus Con-*
stantinop. ab aureo eloquentiæ flumine, Chrysofomi: nomen promerito,
Redemptionis nostræ plenitudinem, ac perfectionem meriti Christi, invi-
cto ar-

eto argumento demonstravit. Tertia deniq; justificationis nostræ causâ
 sa, eaq; Instrumentalis, est Fides, meritum Christi amplectens, quam cla-
 rē inculcat *Apostolus*, quando dicit, *quem proposuit Deus in sacrificiis, pro-*
pitiationem per Fidem in sanguine ejus. Vers. 25. hoc est, per reconciliatio-
 nem, factam per sanguinem Christi, quorsum præprisais, inonente *Doct.*
Calovio Bibl. illustr: in hoc loco, referendus locus 1. *Johan. II. 2.* *Christus*
est ἱλασμός, placamentum, vel propitiatio pro peccatis nostris, & cap. IV.
10. Heb. II. 17. Vide hac de re prolixè *Doct. Calovium* l. c. QVOD VERO
 FIDES SIT MEDIUM ex parte nostri, patet adhuc clarius ex v. 28, ubi
 dicitur, *homines justificari sine operibus, & quidem, tam circumcisos, quam*
præputium habentes, adeoq; omnes Vers. 30. sic *Rom. IV. 5. ei qui non*
operatur, dicitur imputari Fides, hoc est, Fides considerata concretivè,
 quatenus apprehendit meritum Christi, & ad *Tit. III. 5.* expressè adhibe-
 tur particula *nisi*: jam verò juxta *Regulam Logicorum, ab exceptiva ne-*
gativa, ad exclusivam affirmativam, & contra, V. C. Et ubi duo sunt imme-
 diate opposita, ibi alterum semper excluditur, alias oppositum esset, in op-
 posito. Atqui in actu Justificationis, opera Fidei opponuntur, dum in-
 quit Paul. in l. c. *sine operibus, non nisi per fidem, igitur B. O. ab actu Ju-*
stificationis excluduntur. DICO NOTANTER, ab Actu justificatio-
 nis: nam extra actum justificationis, in sanctificatione, non opponun-
 tur B. O. utpote fructus justificationis, qui non possunt abesse à Fide.
 Concedimus etiam in actu justificationis adesse B. O. ratione *existentiæ,*
 non tamen ratione *causalitatis, sive influxûs ad actum justificationis,*
 neq; enim sequitur, eâ quæ simul sunt, simul etiam operari. Fides autem
 hic non intelligitur, *Historica, vel dogmatica, quæ etiam in dzmones &*
homines impios cadit, qui tamen non salvantur. *Matt. XVII. 20. Luc.*
II. 21. Jacob. II. 19. Marc. V. 6. 1. Cor. XIII. 2. sed *salvifica, quæ constat,*
notitia, assensu & Fiducia. Hos actus Fidei haud obscure insinuat. *Chri-*
stus Johan. XIV. Notitiam Vers. X. 7. indicans, dum ait, *nostris me & vi-*
deris Patrem. *Assensum* verò, vers. II. inqviens, *credite mihi quia ego*
sum &c. denique *Fiduciam* vers. 12, ubi dicitur, *Amen Amen dico vo-*
bis, qui credit in me habet vitam eternam. Quæ verba fiducialem appre-
 hensionem inferunt. Nec fiducia hoc loco intelligitur, *Generalis, sed*
specialis & individualis, quâ quisque credit, Deum esse sibi propitium
propter Christum Mediatorem, & velle remittere peccata unicuiq; cre-
 dent

denti juxta Bernhard. *Credis peccata remitti credentibus, bene facis, sed
 etiam hoc credas, TIBI credenti remitti peccata Tua, ut sine hesitatione di-
 cas: Deus esto mihi misero peccatori propitius.* Vidatur *Anthrop. B. Meis-
 neri de Justificat.* Confer. etiam *Mataol. Pap.* Nota verò: quando solam
 Fidem statuimus esse *Instrumentum*, non intelligere nos, *instrumentum*
 vel *cooperativum*, quasi causæ principali cooperetur, ut terra in fin-
 dendo ligno: nec *dativum*, quod effectum ab alio productum, aliò por-
 rigit, ut manus Eleemosynam; sed *apprehensivum*, quo res oblata acci-
 pitur, uti manus pauperis accipiens Eleemosynam. Siquidem Fides cor-
 relativè se ad suum objectum habet, ad obedientiam nempe Christi Rom.
 X. 4. quare etiam dicitur *ἀποδοχή*, receptio 1. Tim. 1. 15. quod per Ver-
 ba *λαμβάνειν & καταλαμβάνειν* exponitur Joh. 1. 5. II.

ANTITHESIS.

Acropolin ac *ἑδραίωμα* Fidei vanis machinis evertere non eru-
 bescent Pontificii. Etenim I. circa *Justificat. nostræ causam*, quæ est *gratia
 Dei*, si non ex integro faciunt cum *Pelagio*, quem *Augusti: Hostem gratiæ
 Dei* vocare solebat, qui somniabat, *gratiam* in hoc Articulo significare
*ea natura dona, quæ per naturalem generationem à Deo sint donata: quam
 crassam & ab Augustino graviter refutatam opinionem*, post hac corri-
 gere voluit, dicendo, *gratiam esse voluntatem Dei*, in scriptura revela-
 tam, cui propriis viribus, & credendo & satisfaciendo satisfacere possi-
 mus: si, inquam, ex integro hic in Commune Pontificii non conferunt;
 tamen rectissimè & sinè ulla calumnia semi Pelagiani ab Orthodoxis nun-
 cupantur: Quid enim, amabo! aliud *Scholastici* senserunt, dum statue-
 runt: *Gratiam Dei esse donum supernaturale, quo mens & voluntas homi-
 nis illuminata, Legi Dei debitam obedientiam præstare, Deum super omnia,
 proximum verò sicut seipsum, diligere queat?* *Jesuitæ Colonienses in Cen-
 sur. p. 26.* *gratiam Dei* definiverunt esse eam, *quæ Deus rectè operantibus,
 hoc est, legem implentibus, vitam æternam promittat.* Communiter Pon-
 tificii, *infusum quendam charitatis habitum* somniant, qui Spiritus S: do-
 natione, credentibus obtigerit, uti videre licet ex *Bonavent. lib. 3. Senten-
 distin. 19. Q. 1.* solent verò melioris ordinis gratia ab Orthodoxis Ponti-
 ficii hic in diversas veluti *Classes* dispesci: Namq; Alii sunt *crassi* illi ac
 apertè Pelagianisantes, *Antiquiores præsertim*, quorum sententia est, *ho-*
minem

minem mereri justificationem per opera; quorum referenda sententia Scholasticorum, de qua Apolog. A.C. in hoc Art. expressè monuit, qui docebant, unum modum justificationis ex ratione desumi; alterum verò ex lege. Sed hujus opinionis pudet Recentiores Papistas, uti videre est ex Bellarm. in Judic. de lib. Concord. Mend. 8. & ex Thoma Henrici Anatom. A. C. Art. IV. Q. I. sed notum est, convenire in eo omnes Papistas, quod homo, justificationem primam mereatur de congruo; licet in hoc in diversum abeant, dum alii hoc meritum, gratia pravenienti postponunt, alii præponunt, ut videre est ex Thoma, Biele, Vasquez, imò ex ipso Bellarm. lib. 4. de Justificatione cap. 12. & 13. Thoma Henrici autem, cui solemne erat mentiri, & mendacium delere mendacio, epistomium imposuit, ac os oppellulavit Dn. D. Deutschmann Evergetes meus munificentissimus, in Vindiciis Anatom. A. C. contra Thomam Henrici, in h. l. Adco ut mendacium non sit, dum eis hæc opinio à nostratibus tribuitur. Confer. Bellarm. lib. 1. de Justif. cap. 21. explicantem locum Conc. Trid. cap. 8. Sess. 4. adeo ut justificari gratis, sit illi nihil aliud, quam justificari sine merito de condigno, quicquid etiam contra strenuè, pro more suo, mentiatur Thom. Henrici Anat. A. C. Art. 6. qu. 6. p. 119. Alii subtilius, hinc sentire cupiunt, qui docent nos justificari per habitum quendam, à Deo infusum: quanquam neq; hæc falsis constantia sit; sed variantur & dissideant, ut loquitur Seneca, siquidem alii nos justificari volunt formaliter, per actualem justitiam & opera. Alii distinguunt inter justificationem primam, & secundam, ut prima illis sit, quando justitia habitualis, seu charitas infunditur; Secunda verò, quando, ex habitu hoc opera justitiæ proficiscuntur. Quorsum referunt suas illas dispositiones, spem, Fidem, & charitatem, augent senatum hunc alii, addentes timorem, dilectionem, penitentiam, & propositum accipiendi sacramenta, ac nova vite, uti facit Bellarm. lib. 1. de Justif. cap. 13.

At verò omnes hi errores, quocunq; fuce tandem pingantur, non turbant tantum, sed evertunt planè Articulum Fidei principalissimum, de Justificatione, uti vel ex solo Höpfnero contra Meierum disp. X. & XI. liquet. Et nostram sententiam præter solidissima illa ex Scriptura & desumpta fundamenta, confirmant quoq; Patres: Augusti. Gratia non est gratia ullo modo, qua non est gratuita omni modo, & Bernbardus, deest gratia, quicquid meritis deputas. Nolo ergo meritum, quod gratiam excludat.

cludat. Quicquid ergo Bellarm. sive complices, de habitu & qualitate inbarente, fingant, illud omne ignotum est, (uti video,) scripturæ sac. neq; nisi turpiter, gratiam justificationis, cum gratia renovationis, seu sanctificationis confundunt, quæ inter se accuratissime sunt distingvenda.

SECUNDO Circa meritum Christi, quam eximios planè sese præbeant Mastiges Pontificii, in solis disco positum est, quod omne ex doctrina superiore, de merito B.O. & distinctione justificationis, in *Primam & Secundam*, oritur. Ut enim hîc bruta illa fulmina & anathemata *Conciliabuli Trid.* sciens volens præteream, Bellarm. certè nullus dubitavit asserere *lib. 2. de Justif. cap. 2. nos formaliter justificari, propter novitatem nobis inbarentem, non propter meritum Christi, quod inherere non potest. Antesignani Romanenses Locuste illa Apocalypica, fratres Esau, in Censu. Coloni. p. 148. Christus morte suâ hoc meruit, ut credentes imbuantur & ornentur charitate & aliis virtutibus, & hæc est justificatio prima. Acceptis verò illis novis qualitatibus propter meritum Christi, tum porrò homo ipse inbarente illâ justitiâ promeretur majorem & auctiorem justitiâ, reconciliationem, adoptionem, & tandem vitam æternam. Quæ impia & in meritum Christi blasphemia sententia, omne decus merito Christi abundantissimo, sacrilegè aufert, Christum tantum causam extrinsecam & exemplarem, Bellarm. l. c. Merita verò nostra formalem causam constituens, sic nos SALVATORES nostri propriè sumus, Christus verò non nisi remotè & occasionaliter, siquidem non Christo, sed nobis tribuenda erit reconciliation, remissio peccatorum, justificatio & vita æterna, quæ omnia secunda justificatio præstat. Quid est, si tandem hoc non est, Θεουαχέιν? Adeo omnis divini numinis reverentia hominibus his infauffis periit, ut non dubitarent, Patres Jesuitæ morituris hanc precationem (imprecationem verius ac blasphemiam execrandam) præscribere, uti habet *Joh. Poland. in Methodo de adjuvandis morientibus p. 27 Domine Jesu eonjunge obsecro obsequium meum, cum omnibus, quæ tu egisti, & passus es, & tam perfectâ charitate & obedientia: & cum divitiis satisfactionum, & meritorum dilectionis, Patri æterno illud offerre digneris. Unde nihil insoliti etiam est, istis Patribus, maleficos, etiam profligatissimæ vitæ, tali phrasi consolari. Confide, sanguis tuus commiscebitur cum sanguine Christi. Aliter certè veneratus est meritum salvatoris sui B. Augusti: sic dialogisans. Credis pecca-**

peccator? credo. Quid credis? remissionem peccatorum. Propter quid?
propter meritum Christi: satis habes, quod credidisti.

TANDEM TERTIO, fidem Justificantem solam, quantis cavillis excipiunt Pontificii, in vulgus notissimum est: siquidem justitiam fidei, quam orthodoxi imputatam vocant, *umbraticam, monstruosam, putativam, spectrum, larvatam, incrustatam* &c. uti videre est ex Bellarm. lib. 2. cap. 2. & 11. Staplet in Antid. p. 79. Cornel à Lapide in IV. cap. ad Ephe. & aliis. Quod vilipendium fidei inde ortum est, partim, quia fidem ignorantiam quandam putant, ideo abhorrent à phrasi hac, sola Fide justificamur, id est, solâ ignorantia; partim, quia fidem nihil aliud esse putant, quam simplicem historiam sacrae notitiam, quæ cum peccato mortali stare queat, adeo ut Hieron. Torniel. lib. 2. Confess. Augustiniana cap. 5. §. 4. nullus dubitarit affirmare, *Fidem in hominibus scelestis manere posse*, cui calculus addidit *Censura Colon. p. 92. & 3.* sicut hoc in eis notat Apolog. A. C. in hunc locum, unde etiam Patres Tridentini Sess. II. cap. 15. non erubere *FIDELIS* vocare, *fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, voraces, ebriosos, maledicos, &c.* Ratio in plano est, siquidem ita quoque *diabolus*, ipse Fidelis erit, ut pote, in quo per peccatum *notitia & assensus* amissa non sunt, Jacob. II. 19. Hæc Lerna & styx execrandi erroris Pontificii, de Justitia Fidei, quales, Deum immortalem! Hydras, & monstra peperit? Videatur tantummodo *Censura Colon. p. 118.* Quod, inquit, *justus ex fide vivit*, illud non habet ex Christo; sed ex operationibus suis. Item p. 114. *Fides justificans, illam formam, sive vim, non habet ex Christo, quem apprehendit & possidet, sed à charitate nostra.* Neque verò est, quod hic aliquem Turbare possit, quod Patres interdum phrasin, *solius Fidei* detestentur; siquidem illud intelligunt, non de fide vera & salvifica; sed pro nudo assensu accepta. Fumos etiam venditat Bellarm. in Judic. de A. C. Mend. 27. dum non vult videri, se negare justitiam Fidei, sed solam Fidem justificare, id esse demum, quod eat Romana Ecclesia inficias: nam quid de Fide sentiat Romana Curia, nunc tantum dictum est. Confer hac in re prolixè *Isago. Carpzov. Art. IV. A. C. & Apol. p. 226. & seq.* Hominem peccatorem sola Fide justificari, signatissimis etiam duobus Testimoniis, *Ambrosii, & Augustini Apolog. A. C.* demonstravit; sed longè firmitus & insolubilius illud S. Paulus evicit, in Epistol. ad Rom. præsertim Cap. III. & XI. adeò, ut impossibile sit, quod si quis duo hæc Capita in spiritu & veritate mutuò conferat, ut Papismus

ei suspectus non reddatur: quod ipsum expertus quondam est *Cardinalis Cajetanus*, qui cum hæc Capita, cum *B. Lutero*, aliquando contulisset, tandem subridens inquit. *Ille Paulus valde est contra nos*. Imò non dubito asserere, quod si *Doct. Lutherus* Epistolam hanc ad *Roma*: perscripisset, illum *Censura Ecclesie Romana* mille mortibus iussisset tollendum.

Ego hic nunc, abrumpo, quia res angusta domi, vela dissertationis hujus contrahere jubet, Patri Luminum religiosissimas exsolvens gratias, quòd me ex *Cimmeriis* his *Papalium* errorum tenebris, gratiâ sui spiritus vindicare voluerit: & reputo cum *Paulo Philip. III.* omnia opera mea pro stercoreibus, ut *Christum tantum lucri faciam*. Tandemq; hic velut quoddam *Tropæum* figens, soli *Deo & Christo* ejus, do gloriam, illud *Bernardi Patris* symbolum meum faciens: **MERITUM MEUM MISERATIO DOMINI!**

MANTISSA.

AN Conscientiæ hominum cogi possint ad amplectendam Religionem Papisticam?

Sanguinariam prorsum Thesin affirmativam, hîc tenent Pontifici, quam etiam eorum esse copiosius demonstrare supervacaneum est, cum praxis quotidiana, & præcipue inquisitio Hispanica, Reformatio Bohemica, Moravia, Hungaria, &c. tot Christianorum, ob hoc crudele effatum, profusus sanguis, id loquantur. Unicum tamen hîc flosculum scriptorum Pontificiorum attingere non erit inconueniens, *Casparum Sciopium, Consiliarum Austriacum & Hispan:* intelligo, *Incentorem illum & Tubam belli religiosi*, qui in *Clasfico belli sacri* Anno 1619. eum consensu superiorum editi, *Matthiam Imperatorem*, gloriosæ reminiscentiæ, severissimè hortatur, ut fungatur officio, & omnes à Catholica Religione alienos, **ELECTORES, PRINCIPES, Comites, Nobiles &c.** exterminet & suspendat, abusus loco *Num. XXV. 4.* *Tolle Principes Populi, & suspende illos contra solem in patibulis.* Potissimum autem *Cap. XX.* demonstrat, omnes *Protestantes*, tanquam hæreticos, occidendos, ex Imperio relegandos, exterminandos, & bona eorum Catholicis esse tribuenda; & tandem sic concludit: *Quare cum eos Deus in manus tuas tradiderit, percuties eos usq; ad internecionem: non inibis cum jis foedus, nec misereberis eorum.* Huic οὐόψαο est larvatus ille *Boranovsky*, in suo *Gewissens-Zwang*, quem ante hos aliquot annos in lucem emisit; Ve

rūm qui pro merito exceptus est, à *Theologo Celeberrimo Dn. Doct. Pomero*, duabus integris sectionibus; Commune illud est, præsertim sanguinolentis Jesucidis: Hæreticum de Vita: Hæretico non serva fidem: Compelle intrare, & similia.

Verum negativam fortissimis VI. rationibus jam olim post alios, defendit *B. Meisnerus Phil. Sobr. Part. III. Sect. II. cap. II. de Magistratu Quest. III.* Ego paucula tantum hic, affirmativæ Papistarum opponam: & quidem primo, *Testimonia Scripturae S. Johan. XVIII, 36.* Christus dicit, Regnum suum non esse de hoc mundo, adeoq; non est illud externâ vi propagandum, quod Christus demonstrat hoc medio: *Quis servi ejus, non pugnant pro eo, Petrus, quem Pontificii Primum Romanum Papam, licet absq; ulla ratione, non niant, expressè prohibuit dominatum super Ecclesiam, Epist. I. cap. V. 3. Non tanquam dominantes Cleris.* Ad hæc Patriarchæ, Reges, & Prophetæ in V. T. Christus & Apostoli in N. T. neminem cogebant, ad amplectendam Religionem, nec ad fidem capellendam, homines, vi & armis compellebant: quod ipsum etiam Ecclesia Antiqua observavit: unde *Gregorius: Pastores, inquit, facti sumus, non percussores. Nova atq; inauditâ est ista predicatio, quæ verberibus exigit fidem.* Porro Christus & Apostoli convertebant, per elenchum & convictionem internam: Ergo qui secus faciunt, Regnum Antichristi potius, quam Christi Ecclesiam propagant. Id quod etiam Turcis usitatum est, qui per Tyrannidem, Mahumedi blasphemias, propagarunt.

SECUNDÒ, *Testimonio nature sive reclarationis.* Quis enim tandem potest actus mentis elicitos cogere, quandoquidem voluntas tota, quanta est, libera est; nulla Vis externa intellectum tangit. Quid? quòd omnis coactio humanæ voluntatis, per se, non habeat ordinem, promissionem, consolationem, solosq; Hypocritas faciat, sicut habetur, in *Jur. Canon: C. Quid autem dist. 45. Coactio facit magis fucatos atq; simulatos, quam Veteres Catholicos.* Notam illud erat jam olim *Calano Philosopho, ad Alexandrum M. sic scribenti. Nullus Rex, nullus Princeps, potest efficere, ut quicquam agamus, præter animi sententiam.*


Tandem accedant testimonia Antiquitatis & Imperatorum. Ita enim *Patres Concilii Toletani Can. 56. Nemini ad credendum Vis ulla inferenda.* *Lactan. Lib. 5. divin. Instit. cap. 19. Nihil absurdius est, quam*
D fidem

fidem in anima, quæ est spiritus, auctoritate judiciali, cogere velle, cum assensus, qui fidei pars est, sit actus à voluntate elicitus. Quis enim mihi imponat necessitatem vel credendi, quod notum, vel quod velim, non credendi. Nihil tam voluntarium, quàm Religio, in qua si sit animus aversus, jam sublata, jam nulla est. Tertullia: ad Scapul. Cap. 2. Religionis non est, cogere ad Religionem, qua spiritu suscipi debet, non vi. Hilarius ad Constantinum Imperat: Non decet, non oportet cogi, atq; compelli invitos ac repugnantes. Augustin: contra Crescen. Lib. 3. Cap. 50. Nemini pro unquam placuit in Ecclesia, si contra aliquem, etiam si sit Hereticus, ad sanguinem usq; seviatur. Andreas Philopater Presbyter Romanus, in responsion: ad edict: Anglicum. si persuaderi sibi à Cecilio Consiliario principis permiserit Elisabetha Regina, subditorum Carnificinam in causa Religionis, carere omni periculo, imprudentia est insignis. Quibus omnibus addendum B. Lutheri testimonium Tom. 2. Jonen. fol. 180. liberum quiddam est credere; imò divinum in spiritu. Externa igitur vi cogi non potest nec debet. Hæc mens quoq; fuerat Imperatoris Carol. V. qui dum à Clemente VII. P. R. urgeretur Bononiæ, ut Lutheranos armis oppugnet, appositè respondit. Ut Parentum deliria sunt ferenda, ita in Civitatibus ac Religionibus, vitia quædam dissimulanda, fundamentum in Ecclesia debet retineri, referente Melch. Goldast. Constitut. Imperat. fol. 506. Et idem Imperator de Papæ Clement: VII. inclementia & tyrannidè inter alia sic loquens conqueritur: Dura hæc est deformitas in ipso Pastore. De Ferdinando I. hoc fert judicium Thuan. Lib. 36. In Religionis negotio, non ferro gnasari (ad quod ipsum, & Gallia Regem, pleriq; hortabantur:) sed colloquiis, disputationibus, amicis colloquutionibus, Conciliis demiq; sive Nationalibus, sive Oecumenicis rem gerere Imperator tutius judicabat. Optimè Maximil. II. nullam aliam majorem tyrannidem, quàm illam, quæ conscientias dominari vult, statuebat: Et Sigismundus Bathori, Rex Polonia, dicere solitus fuit: Deum tria sibi reservasse: Ex nihilo aliquid creare: Futura præscire: & dominari conscientias. Dedit jam olim suum judicium, sanctus Rex David, de convertendis Impiis in Psal: LI. 15. Docebo, inquit, iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Sed nihil hæc curat Curia Romana & ejus Latio, cujus duplex esse officium, asserit Baronius in Paranes. contra Venetos. Pascere scilicet: & occidere juxta illud pascere Oves meas, & illud Act: X. Occide & manduca.

Quam

Quando enim Pontifici negotium est tam refractariis & adversariis,
tunc Petrus in mandatis habet, eos mactare & occidere, atq; in viscera sua
recondere. Hic est scilicet ille successor Petri, qui per emissarios suos La-
tinas, ubi furori ejus libet, exercet: Talis habet Petri clavem! Talis
regit Petri navem! E cujus Tyrannide ac sangvinolentis ungvibus, Libe-
ratori ac Vindici meo, Jesu Christo, hic Poeta! occino, concludens labo-
rem hunc meum, clausulâ aureâ illius Orationis, aut veriùs Threnorum,
quos Nicol. de Clemangis Archidiaconus Baiocensis, & Doctor Theol. Pa-
risiensis, de corrupto Ecclesiæ Rom. statu, ante CCC. Annos circiter, con-
scripsit. Tempus erat, ut portum ingruente jam tempestate, peseremus,
nostra in his periculis salutis consuleremus; ne tanta procellarum vis, quæ
laceram Petri naviculam, validiori turbinis impulsu, quàm ullo alias
tempore, concussura est, in mediis nos fluctibus, cum his, quos
merito naufragio perituri sunt, absorbeat.

SOLI DEO GLORIA!




D 2

Spiritus

Spiritus Axe poli *radios* dum *luminis* almi
 Exerit ipse sui, densâ *caligine* mentes
 Obductas *scelerum* penetrat, prorsusq; remotô
 Obice *cervicis* duræ, collustrat opacas.
 Sat cæco, *Gambarovvski*, *documenta* ministras
 Clara *Orbi*, malelanam confundisq; cohortem.
 Nam postquam *tenebris* *Papæo* merlus a *verno*
 Plusquàm *cimmeriis* hæreret, *dextra* *Jehovæ*
 Exporrecta tuos animabat fortiter *ausus*,
 Atq; vagos flexûs *Labyrinthi* linquere juslit.
 Hicce *DEI* *monitis* formatus conspicis atram
Errorum *nubem*, *calidi* quos castra sequuntur
Præfulis *Aulonii*; perplexis undique *fastu*
Flexibus, ex illis quæris quæ evadere possis.
 Annuit ecce tuis mox *Cæptis* altus *Olympus*,
Aligerumq; choro fidum te cingit, ut omne,
Insidias vitando, queas vitare *periculum*,
 Præcipitare potest quod in ipsa *barathra* *Gehen-*
 Hoc igitur tandem stipatus *milite* sacrô (næ.
 Lætus adis *claram* *cultu* *celebremq;* *BUDISSAM*
Verô *Relligionis*, ovans & *Dogma* *Lutheri*
 Prendis, sensim *Evangeliiq;* *vigore* triumphas,
 Nul-


Nullis permittō *commentis* amplius *Artis*
Italice: Studiorum dein *tundamine* jactō
Sacrorum VVittenbergam, Virtutis in Aulam
Intras, postq; laboris onus Pietatis & æquum
Exemplar diæ *Specimen Fideiq;* bonæq;
Fama præsentas. *Supremum cœpta* secundet
Numen, constanti jubeatq; favere Patronos!

ABRAHAM CALOVIUS, D.



S Altiſſimæ fidei, quæ sit natura, decusq;
Te juvat è Sacris exhibuisse libris.
Maçte tuis studiis primis! defendere porrò
Nitaris puræ religionis opus.

JOHANNES MEISNERUS, D.



Quæ via ad æternam possit perducere lucem
Noſti, demonſtrasq; ſuis conamine dignò
Laudibus. Hanc calces, nec Te commenta vi-
ciſſim
Vana hominum moveant! Eris omni ex parte
beatus!

JOH. ANDREAS QVENSTEDT, D.

P.T.

P. T.
DECANUS FACULTATIS
THEOLOGICÆ WIT-
TEBERGENSIS.

AD
PEREXIMIUM ET PRÆSTANTIS-
SIMUM

DN. NICOLAUM GÄMBARZOVVSKI,

Sac: Th: Stud:

CONVERSUM.

EXpetis, VIR OPTIME, literas quasdam,
& eas quidem in Tui *commendationem*.
Ea demum apud *Patronos vera commendatio*,
quæ non in *Aliorum verbis*, vel *encomiis*, sed in
virtute propria, vel *ipsis factis* consistit. Talem
apud Nos hæctenus Te gessisti, ut non levi *com-
mendatione* dignus videaris. Ad *Ecclesiam no-
stram*, verbo DEI fultam, à *Papatu*, religionis er-
go, transfuisti. Non *verbis*, sed *factis*, non *proli-
xis & pomposis Orationibus*, sed *cordatis & studio-
sis contentionibus* id professus es. *Diligentiam*
Tuam, & singularem *Orthodoxiam discendi cu-
pidinem*

pidinem, mihi quotidie probasti, tum *Examina*
cum aliis sustinendo, tum aliis de fidei Christia-
næ Mysteriis opponendo, tum *responsionibus* ali-
orum *Objectiones* resolvendo. Nec aliud, nisi
Paupertas, ulterioribus conatibus obstat. Perge,
sicut occœpisti, Deo Tuo confide, præsentis Vo-
cationis opus urge, ad ollas *Aegypti* nullatenus
respice. In *minimis* esto fidelis, ut ad *majora*
proveharis. DEUS mox veniet, atq; Tibi pater-
nam opem feret. Ipse dat *Patronos*, *vocatio-*
nem, *abundantiam*, *sufficientiam* & *omnia*! Hic
Tibi semper sit DEUS, & Idem Tuus semper erit
Patronus Optimus, Maximus! Vale, & in Domi-
no feliciter age! *Witteb.* Die XX. Novemb.
Anno, M. DC. LXXIX.

JOHANNES Deutschmann/D.


Siccine dogma Lutheriadum, vafra quod co-
hors Nigratum.

Post terga ponit damnat atq; calcat (theri)
Propugnans, dum scandis Pulpita sacra nunc Lu-
O Gämbarzovvski? Militat tibi æther,
Et

Et sacra conveniunt ad praelia Spiritus ab Axe.

Cernuntq; dios quos paras triumphos
Filius ipse Dei servet bona mentis & salutis,
In te, laboris quo feras brabea!

*Humanissimo atq; clarissimo DN. Respondenti
Amico suo suavissimo, prospera simul qua-
vis precatus*

M. JOH. VVOLFIIUS, Ord. Phil. Adj.

Curia Papalis Voto Te quando ligavit
Tergemino, Eumenidum risit adusq; co-
hors;

Vincula sed quando Papa dissolvit JESUS,
Aligeri gaudent, Infera Turba gemit.

Spiritibus Sanctis fas congaudere, Tibiq;
Dicere de toto pectore: VICTOR, AVE!

*hæc, in gratiam Doctis. D. Resp. militis Jesu in-
defessi, Fautoris & Amici ab aliquot annis
probat, felicia quæque, precatus apposuit*

M. JEREMIAS PILARIK,

Sch. Sen. Witt. Coll. VI.

Desertâ Papæ Cathedrâ, jam vera verendi,
Verba DEI, in Cathedrâ propugnans ritè Lutheri,
Praelia committis Domino, sic perge probare
Militiam, certò captabis in Axe coronam!

*Fundeat cum pio sincera gratulationis voto, in
gratiam Præstantis. Dni. contubernalis pari-
ter ac commensalis, Amiei sui Venerandi,*

GEORGIUS REINECCIUS, Damâ Sax.

Juris Prudentiæ Studiosus

05 A 393

ULB Halle

3


004 210 565



1017







33

DISSENSUS
LUTHERANORUM
ET PONTIFICIORUM,
CIRCA NONNULLA
FIDEI CHRISTIANÆ CAPITA,

QUEM
DISSERTATIONE THEOLOGICA,
FAVENTE SUPREMI NUMINIS GRATIA,

In
CELEBERRIMA LEUCOREA,
PRÆSIDE,

VIRO,
SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO
ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANNES Deutschmann
S.S. TH. D. EJUSDEMQUE IBIDEM P.P. LONGE
CELEBERRIMO, ALUMN. ELECT. EPHORO
GRAVISSIMO, NEC NON VENERANDI ORDINIS
THEOL. p. t.

DECANO SPECTABILI
DN. PATRONO AC PRÆCEPTORE PROMOTOREQUE SUO MAXIMO:
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBIICIT
AUTOR ET RESPONDENS

ADD. NOVEMBR. MDCC LXXIX.

NICOLAUS GÄMBARZOVSKI

Cracoviâ Polon. S. Th. Stud. Seren. Elect. Saxon. Alumn.

Wittenb. Typis JOH. BORCKARDI, Acad. Typ. Excud. SIMON LIEBERHIRT.

